



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis  
Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmestadii, 1674**

Svpplementvm LV. Ad pag. CXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

quammulta docuit vir variâ doctrinâ eximius, Thomas Reinesius in *Defensione suâ Variarum Lectionum* pag. 143 & 155, ingenuo emendans nonnulla quæ scripsérat l. 3 *Variarum Lectionum* cap. 2 & 12. Ibidem præclara haud pauca adfert de ipsamet Schola Salernitana, quæ proinde merentur attentam lectionem; et si schola illa omnis pridem interierit, idque quantum videtur annitentibus Neapolitanis Gallicæ stirpis Regibus.

## SUPPLEMENTVM LV.

Ad pag. cxi.

**O**rdinis vox olim apud Romanos fuit valde communis. Et vero Ordo senatorius, Ordo equestris, Ordo plebejus, nomina sunt jam veteri Romæ cognita. Cicero quoque memorat l. X. *Familiar. epist. 9 ad Crassipedem Ordinem publicanorum.* Servius ad illud Virgilii

*deletios Ordine ab omni**Centum oratores augusta ad munia Regis**Ire jubet:*

illud ordine ab omni scribit esse, ex omni qualitate dignatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieq; servatur. Alibi memoriuntur Ordo Sacerdotum, Ordo haruspicum, aliique, κατ' ιζοχλι' tamen & nullo addito, Jurisconsultis Ordo audit Ordo decurionum: quapropter ubi de probatione per Ordinem instituenda agitur pene soli decuriones intelligendi videntur.

## SUPPLEMENTVM LVI.

Ad pag. cxii.

**P**linius epistola 60 l. X haud obscure indicat, jam tum, Trajano scilicet imperante, Philosophis fuisse concessam civilium munerum vacationem. Hanc autem deberi beneficio Vespasiani, discere est ex verbis Charisii in Dissertatione adductis. Forte verò Domitianus ut Rhetoribus ita